

est : consensum prius datum, non fuisse inefficacem nisi propter impedimentum; hoc igitur sublato, idem consensus perseverans effectum suum naturalem sortietur. Hinc patet falsitas rationis pro priore sententia allegatae : vid. consensus cui obstat impedimentum nullus est tantum quoad effectum juridicum quem sortiri deberet, sed ex se habet quaecumque e rei natura requisita sunt ad hunc effectum producendum.

III. Ubi obtenta est ordinaria dispensatio, consensus ab utraque parte renovandus est, et, si impedimentum uni parti tantum notum est, haec alteram certiore facere debet de nullitate prioris matrimonii. Solet enim S. Poenit. ubi dispensat in affinitate e copula illicita hanc clausulam apponere : " Monito poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore, vel suo putato marito, certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute ut ipsius delictum numquam detegatur. " Hac clausula imponitur huiusmodi certioratio, ubi sine periculo fieri potest, tamquam condicio sine qua non conceditur dispensatio. Atque etiam ubi haec tali clausula non afficeretur, tutius esset eodem modo agere ut valor matrimonii in tuto collocaretur, cum multi AA. supra citati eam certiorationem iteratumque consensum prorsus necessaria ducant.

Quando, ut plerumque contingit ubi dispensatum est in impedimento affinitatis e copula illicita, aperte fieri nequit certioratio, ob periculum ne altera pars causam nullitatis suspicetur vel a nuptiis resilire velit, conandum est ut modo aequivalenti obtineatur consensus qui sufficiat ad matrimonium, cognita nullitate, revalidandum. Varios modos suggerunt AA. Fere aequivalent isti duo quos probat S. Alph. (n. 1117) : " Quando nupsi, non habui verum consensum ; nunc praestare volo. Vis et tu praestare? " et : " Angor scrupulis de nostri matrimonii valore, ideoque renovemus consensum. "

IV. Quando alteri parti ingeri nequit notitia vel dubium de prioris matrimonii nullitate, sine gravi periculo infamiae vel separationis, sufficit, ad validandum matrimonium, ut, sublato impedimento, consensus partis consciae aliquatenus externe manifestatus, puta per copulam maritalem, jungatur eum consensu virtualiter perseverante partis insciae. Etenim renovatio consensus non requiritur probabilius nisi quia per rescriptum S. Poenitentiariae tamquam condicio adjecta est dispensationi. (III) Jamvero S. Poenitentiaria satis ostendit suam voluntatem remittendae illius condicionis quotiens prudenter impleri nequit. Nam, post verba supra allegata, haec addit : " Et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis AA. traditas. " Quare opinantur Ball. P. (n. 1331) et Lehmk.

(II. n. 825), S. Poenitentiariam, dum verba supra citata jampridem usitatis addidit, manifestasse intentionem suam sanandi in radice (quatenus opus fuerit) consensum olim datum, dummodo necessitas urgeat.

Verum quotienscumque, antequam dispensatio petatur, dubium prudens habetur de possibilitate implendae condicionis illius quae ordinariae dispensationi adjici solet, juvabit recurrere ad extraordinariam.

Punctum II. De sanatione in radice.

540. I. Sanatio in radice est actus quo R. P. abolet legem impedimenti dirimentis, quatenus in casu determinato obstat valori consensus naturaliter sufficientis ad matrimonium contrahendum. Hinc ejus effectus sunt :

1^o Realiter efficere matrimonium validum absque novo consensu contrahentium : nam, remota lege qua tollitur efficacia consensus, hic jam est efficax vinculumque matrimonii gignit. Hinc patet hoc remedio convalidari posse matrimonium, etiamsi neutra pars nullitatem vel dispensationem cognoscat.

2^o Realiter tollere a momento concessionis omnes effectus, qui e nullitate matrimonii orti erant, puta illegitimitatem liberorum. Quandonam liberi, e matrimonio nulliter inito suscepti, sint jure ecclesiastico legitimi, colliges ex dicendis n. 634.

3^o Per fictionem juris, effectus praedictos referre ad initium contractus : qui, licet reapse exstiterit invalidus donec sanatio in radice concessa fuerit, juridice tamen censebitur semper habuisse dignitatem et effectus legitimi conjugii.

Hinc facile cernitur quid intersit inter hoc remedium extraordinarium et ordinariam dispensationem, qua partes fiunt tantum habiles ad contrahendum, posito novo consensu, neque effectus validi matrimonii ad momentum consensus naturaliter validi retrahuntur. Discrimen indicat ipsum nomen sanationis in radice : qua scil. remedium dispensationis effectus suos juridicos ad initium seu radicem matrimonii protendit. (Ball. P. n. 1420) Hanc peculiarem dispensationem a R. P. dari posse, liquet tum ex ejus natura mox explicata, in qua nihil est quod supremi legislatoris facultatem superet, tum e praxi S. Sedis, quae jam a pluribus saeculis huiusmodi dispensationes, hodie valde usitatas, elargiri solet.

541. II. Condiciones requisitae ad obtinendam sanationem in radice sunt :

1^o Ut causa invaliditatis sanandae sit *juris mere ecclesiastici*. Etenim, si obstaret lex divina aut naturalis, Ecclesia eam auferre non posset.

Hinc manifestum est non posse sanari in radice societatem mere fornicariam : siquidem deficit consensus naturalis in societatem conjugalem, quem defectum R. P. supplere non potest. Attamen sanari posset in radice matrimonium quod initum fuisset cum impedimento juris divini vel naturalis, postea autem, sublato hoc impedimento, mansisset irritum ob solum impedimentum juris ecclesiastici : sed, in hoc casu, effectus juridici non protenduntur ultra tempus quo prius impedimentum evanuit, et vera radix matrimonii apparet. (1)

2º Ut, eo memento quo sanatio in radice conceditur, *perseveret utriusque consensus* in matrimonium : hic enim ad verum matrimonii contractum efficiendum essentialis est, ideoque nulla auctoritate ecclesiastica suppleri potest. Hinc sanatio in radice quae interdum, mortuo alterutro conjuge, data est, eo tantum tendit ut proles ab initio matrimonii invalidi suscepta censeatur legitima.

Adverte perseverantiae consensus minime obesse quod alterutra pars, cognita nullitate matrimonii, resilire vellet (n. 535) ; multo minus, quod nolit consensum in forma Tridentina elicere.

3º Ut adsit *causa gravis*. Haec, quando sanatio a R. P. datur, ad solam liceitatem, quando datur a delegato, ad valorem requiritur. (n. 521) Causa gravis habetur quando multa matrimonia invalide contracta sunt, nec possunt absque scandalo moneri partes de contractus nullitate. Similiter, in casu particulari, quando impedimentum ignotum est alteri parti et merito timetur ne de eodem certior facta a matrimonio resiliat, vel quando una pars adduci nequit ut consensum suum in forma Tridentina renovet. Attamen S. Sedes non solet in casibus particularibus indulgere sanationem in radice, quando neutra pars de nullitate moneri potest : mavult nulliter conjunctos in bona fide relinquere. Sed interdum ad hoc remedium confugit quando propter errorem tertii, ex. gr. in dandis dispensationibus, plurima matrimonia invalide contracta fuerant, et scandalum, monitis partibus, ortum esset. (Feye, n. 772)

Praeterea Ecclesia solebat exigere ut conjunctio sananda speciem extrinsecam justi matrimonii haberet, ex. gr. coram paroco et testibus fuisset inita, tum ne videretur sancire unionem mere fornicariam, tum quo certius constaret adfuisse naturalem consensum matrimonialem.

(1) Ita S. Poenit 25 Apr. 1890 in radice sanavit matrimonium quod mere civiliter iniverat mulier quaedam catholica Parisiensis, superstite priore marito a quo sententiam divortii obtinuerat. Nam, cum prior maritus durantibus his nexibus adulterinis obiisset, jam nullum obstabat impedimentum nisi criminis et clandestinitatis. Quare, cum vir impius adduci nequiret ut coram paroco et testibus contraheret, matrimonium in radice sanatum est et legitima declarata est proles jam suscepta, non tamen in adulterio concepta. (N. R. Th. t. 27. p. 221)

Verum hodie ab urgenda hac juris tantum positivi condicione recessisse videtur : siquidem identidem matrimonium mere civiliter contractum sanat, dummodo aliunde satis constet (quod jure naturali requiritur) partes non intendisse consensum mere fornicarium, sed matrimonialem, quemadmodum, propter ignoratam veram doctrinam de matrimonio civili, crebro accidere opinamur.

542. III. Rom. Pontifex sanationem in radice elargitur per S. Poenitentiarium vel S. Inquisitionem. Regulariter, cum impedimentum occultum esse soleat, eadem pro solo foro interno petitur et conceditur. Quodsi facile fieri potest ut impedimentum detegatur, petenda est sanatio quae valitura sit quoque pro foro externo : idque S. Poenitentaria etiam pro divitibus concedere potest. (Ball. P. n. 1423)

Episcopi ordinariam facultatem sanandi matrimonii in radice nullam habent. Quandoque tamen delegatam facultatem, sub certis restrictionibus, obtinent, praesertim in locis missionum. (1)

(1) Subjungimus exemplum litterarum ad petendam dispensationem in radice, pro casu frequentiore, vid. cum impedimentum matrimonii nulliter contracti occultum est.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Caia bona fide (vel mala fide) matrimonium inivit cum Titio, praemissis (vel dispensatione remissis) denuntiationibus et servata forma Tridentina. Verum hoc matrimonium irritum fuit ob impedimentum affinitatis e copula illicita quam olim Caia habuit cum Sempronio, fratre (vel filio) Titii. Nullum autem est dubium quin hucusque perseveret consensus Titii. Quare, cum absque scandalo et susceptae jam prolis detrimento separari nequeant et timendum sit ne Titius, nullitatem matrimonii edoctus, consensum renovare recuset vel saltem graviter in uxorem saeviat, Ill. Dominationem Vestram obtestatur oratrix ut sibi dispensationem in radice matrimonii, auctoritate Apostolica, concedere (vel a S. Sede obtinere) dignetur.

N. B. Facile apparebit quid in his litteris mutandum sit si dispensatio in forma ordinaria, post contractum matrimonium, petenda sit, vel si directe ad S. Poenitentiarium scribendum videtur. Cfr. n. 526 cum notis.